



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Ex eadem Libertate læsa fluxit schisma Friderici I. Hadriani IV. &
Alexandri III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

status in totum quartum Bibliotheca Patrum. Tertia occasio fuit, inquit Prædicatores, quam ipsi aliquando nobis in familiari colloquio assignaverunt, scilicet superba nimis exaltio Legatorum Papa. Dicebant namque referentes, quod quando Legati summi Pontificis ab ipsa sede apostolica annuatim Constantinopolim chrisma deferbant, nisi octoginta libra auri à Clero & urbis populo, præter alia dona & munuscula, eisdem impenderentur, non recedebant. Taceo, age, aiebant, de pompa & superbia quam ipsi ostendebant. Vide epistolas Germani Patriarchæ Constantinopolitani ad Papam Gregorium IX. & Cardinales, quæ exstant apud Matthæum Parisium. Claudam verò hanc observationem meam illustri loco Gulielmi Durandi Episcopi Mimatensis, cujus hæc sunt verba ex libro secundo de modo generalis Concilij celebrandi cap. vii. *Præverbium vulgare est: Qui totum vult, totum perdit. Ecclesia Romana sibi vendicat universa. XCIII. di. Diaconi sunt. Vnde timendum est quod universa perdat. Nam (sicut Salomon ait Proverborum xxx.) qui multum emungit, sanguinem elicit. xv. dist. Denique, sicut habetur exemplum de Ecclesia Græcorum, quæ ex hoc ab Ecclesia Romana obedientia dicitur recessisse.*

VII. Eadem strages Occidentem aliquando cœdavit, dissidio inter Ecclesiam & Imperium è variis de jurisdictione contentionibus orto, quod Gregorium VII. & Henricum IV. inter se commisit, nec potuit incendium, quo Europa flagrabat, extingui, donec pax Ecclesiæ reddita fuisset, iis conditionibus quibus depacti sunt Callistus secundus & Henricus V. Contentio illa, quæ corpus Ecclesiæ in duas veluti factiones divisit, & verum schisma conflavit, non aliunde sumpsit originem, quam ex episcopatum Investituris, quæ per anulum & virgam concedebantur: quas quidem Gregorius & eum secuti Pontifices Urbanus II. & Paschalis II. libertati ecclesiasticae adversas asserbant: è contra Henrici ambo, pater, & filius, eas in eorum jurium censum referebant quæ à Carolo Magno quæsitæ Imperio, per longissimi temporis usum vim constituti habere profitebantur, à quibus excidere illis fas non esset, quandiu Imperium retinerent, atque adeo, si ob assertam Regni libertatem aliqua excommunicatione necerentur, eam nullius momenti futuram.

VIII. Dissensionem verò illam quæ inter Fridericum primum & Hadrianum IV. Alexandrimumque III. exarsit, quæque tot luctuosis cladibus celebratur apud auctores, sola hinc Imperij asserendi, hinc Ecclesiæ in libertatem vindicandæ cupido excitavit. Hadrianus ab hominij sacramento liberos Episcopos contendeat, & Imperium Romanum suo beneficio Friderico collatum. Fridericus verò hoc telo peti dignitatem suam ratus, & Imperij jura ad

feudorum servitute demitti, excanduit, hæcque ratione *Vnitatem scindi, inter Regnum & Sacerdotium schisma fieri*, Edicto testatus est. Aegrum animum & saucium curare conatus est Hadrianus; sed crudum vulnus, quod Fridericus toto corpore exceperat, tam levi remedio obduci non potuit, quinimo cum Hadrianus Imperij hostes in Italia sublevasset, pestis illa recruduit; & in Alexandrum successorem propagata, schismate corpus Ecclesiæ laceravit.

IX. Quid loquar de funesta illa dissensione quæ Fridericum II. & Gregorium IX. inter se collisit: Calamitatem illam accepto ferendam docer fides annalium, violatæ à Friderico Clericorum & Ecclesiarum immunitati: quam Honorius III. cum excommunicatione vindicasset, inde luctuosissimi belli & schismatis sub Gregorio IX. licet aliis coloribus quæsitis, occasio nata est. Mitto Ludovicum Bavarum: qui jura Imperij Romani cum asserere tentaret adversus Ioannem XXII. horrida belli tempestate & misero schismate Italiam & Germaniam concussit.

X. Quod ad Gallos attinet, ita se in his discriminibus semper gesserunt, ut constantia prudentiæque sua & jura sua retinuerint, & pietatem erga Romanam Ecclesiam non læserint: quæ etiam omne studium suum in id contulit, ut de Francorum Regibus optime mereretur. Sanè tacendum non est Gallos quandoque ita comparatos, ut si præfractè cum illis actum fuisset, in dissidium abiissent potius quam Ecclesiam Gallicanam veluti capite minui sustinuisent, ut fidem faciunt litteræ ab Ivone Episcopo Carnotensi ad Paschalem II. datæ; quibus Pontificem serio monet, ne Noviomensis Ecclesiæ divisione tentata, Tornaci Episcopum instituat, contra veterem consuetudinem. *Novis, inquit ille, paternitas vestra quia Regnum Francorum præ ceteris regnis sedi apostolicæ semper fuit obnoxium: & idcirco quantum ad ipsas regias personas pertinet, nulla fuit divisio inter Regnum & Sacerdotium. Quod ergo hæctenus cum pace & utilitate Ecclesiæ observatum est, humiliter petimus ut de cetero observetur, & Regni Francorum pax & summi Sacerdotij nulla subreptione dissolvatur. Quod idcirco prelibamus, quia audivimus Clericos Tornacenses apud apostolicam sedem venisse, petituros ut apostolica præceptione proprium possint habere Episcopum, & Noviomensis Ecclesiæ frustrare privilegium. Quod ne fiat, sicut filij & fideles rogamus & consulimus: ut statum Ecclesiarum, qui quadringentis ferme annis duravit, inconcussum manere concedatis; ne hac occasione schisma, quod est in Germanico regno ad*

Fridericus in Edicto anni 1157.

Joan. Villani. l. 6. c. 16. Vinc. Belloc. l. 30. c. 129.

Ioannis Extravag. & Edictum Ludovici Bavarum.

170 ep. 118. Vide infra lib. 4. cap. 11. §. 3.